


IMPERATOR CÆSAR
 FERDINANDVS III.
 PIVS. FELIX. AVGVSTVS,
 REX GERM. HVNG. BOHEM.
 DALMATIÆ, CROATIÆ,
 ARCHIDVX AVSTRIÆ
 DVX BVRG. STIR. CAR. CARN. SILES.
 PRINC. SVEV. MARC. MOR. LVSAT. BVRGOV.
 LAND. ALS. COM. HAVSP. TYR. &c.



Deo etiam Augustale tuum FERDINANDE, non triplici tantum Regno, Hungarico, Bohemico, Germanico, sed inuictissimam felicitate, fortitudine, religione, TER-MAXIME, & ante Tui Solij à tot populis adorati fastigium, sisto tuos in te maximos Maiores tuos. Agnosce quas plura secula sparsere, in te collectas Coronatas virtutes, & Augustas. Hec exanimes, non fumosæ, sed serenissimæ Austriadum Imperatorum statuæ, indigetes lararij tui Heroes in Te spirant, ac Tibi statuuntur in basim, vnde

Colossus assurgis supra communem etiam Maiorum tuorum Cæsarum, fortunam spectabilis. Ea felicitas, quæ RVDOLPHVS Austriacum condidit Imperium, ea fortitudo, & constantia, quæ ALBERTI, FRIDERICIQVE seruarunt, ea magnanimitas quæ MAXIMILIANI auxerunt, ea prudentia & iustitia quæ gemina fraterna huius sæculi sidera in Austriaco Cælo RVDOLPHVS, & MATTHIAS illustrarunt, ea potentia, quæ CAROLVS in vtroq; orbe propagauit, ea religio, quæ FERDINANDI Proauus & Pater, qui in te potissimum auspiciatissimo quoque nomine, toti elucet, cælo extulerunt, hæreditarij tui iuris Magna Nomina sunt, imò tu ipse horum Nominum Magnus hæres. In te cadit hæc nobilis linea, ibitq; ex te in alios FERDINANDOS indulgentibus superis ad mortaliu ferè omnium vota progenerandos, mundo, ac sæculis maior, cælo tantum contermina, & tuo confinis. Sed supra cæteros Gentiles Heroes, quantum instar habes Pij, & Maximi Parentis, vnde Te ipso, & Parente tuo Ma-

gnus, vnus ex duobus, quantus ipse tu es? Hæc tibi ingenua FERDINANDÆA. Fortis Pietas Eurytheus tuus, non seueris, sed placidissimis imperijs tot tibi herculeos labores imperauit, quos Diuum e sanguine inuictissime Heros exantlasti. Hæc tibi etiam ante imperium Augusto, perduellionem edomuit, hæresim fregit, inuidiam prostrauit, fidei necessitatem imposuit ipsi perfidiæ rebellanti, fecitque vt tumultuantia regna, quæ manui victrici reuerentiam detrectabant, exardescente in fulmen triumphale sceptro, eius potentia icta, abiecta sisterentur ad pedes. Potuit lætari maximus, Parens tuus, dum tu seculi nostri decus, fortissimâ religionē Germanice Triumphator tantam de illo faceres fidem, & ille iam Maximus de tuis etiam cresceret factis. Adhuc Rhenus, Danubius, Albis, Mænus, Visurgis pleno vbere, & amanti sinu, eas lauros nutriunt, quas triumphali tuo Capiti Inuictissime, & Victoriosissime FERDINANDÆ germinarunt. Adhuc laureati hi fluij, tuarum, quas spectarunt, immurmurant prodigia victoriarum perpetuo vndarum sonantium plausu, fatenturque non cadauerum tantum strue, sed admiratione, Te victore fuisse suspensos, & in alieno tuorum hostium sanguine vulneratos, pro te pugnasse. Adhuc opulentissimæ, ac munitissimæ vrbes Donauerda, Augusta, Norlingha, Vormatia, Vberlingha, Friburgum, Norimbergha, aliæque innumeræ, quas tuæ pugiles tot palmarum Imperatoriæ manus expugnarunt, submissas tibi turratas frontes inclinant. Inscibet prima tuæ gloriæ fastos Ratisbona contra coniuratas totius Germaniæ vires, cum exercitu ferè careres, Tui penè dixerim pectoris solâ constantiâ loricati vallo, fortissimè defensa. Signabunt gloriosè Austriacos annales Moguntia summâ felicitate ipsâ quasi solâ tui Maiestate Nominis capta, ac restitutus in Septemuirale Solium Archiepiscopus Princeps, de victoriâ certantibus beneficentiâ, & fortitudine, omnibus tamen vnâ voce FERDINANDVM beneficium, ac fortem victorem proclamantibus. Adhuc FERDINANDÆVM tuum nomen, cum lauris, palmisque natum inter Morauas, Bohemicas, Virtembergicas, Sueuicas, Franconicas, Vuesphalas, victorias sonat. Agnoscit iam triumphatores sui Germania, vbi audit FERDINANDOS. Illius verò nobilem, felicemque victoriæ Norlinghanæ gloriam, quæ nam ætas in famam conuersa, millenis auribus non excipiet, totidemque linguis, ac tubis non reddet? Quantis illa Deus immortalis! auspicijs inuecta est, iunctis Austriacis FERDINANDIS, Germanico, & Hispanico, magnisq; nominibus toto cælo aduersus armatam hæresim pugnantibus? Vt placaret tandem purgatum monstris terrarum orbem Germanus Hercules, cum Hispano Theseo focia arma coniunxit. Quis amplius ipsa inferna monstra timeat cum his Erebi triumphatoribus? Coniurauere vibratis ad vnum centrum fortissimæ pietatis radijs, lucidissima Australis Cæli sidera, altero alterius mutuis splendoribus in coniunctione vim beneficę lucis augente. Inimica Celo perduellis hæresis sensit tandem duo fulmina belli AVSTRIADAS FERDINANDOS, qui ferro nominis triumphali armati, ferentibus victricibus Aquilis aligeram profus miræ celeritatis victoriam, omnium sæculorum memoriam coronabunt. Infederat vni colli Norlinghano totius Germaniæ salus: in illo

*Bella a
Ferdinã-
do III.
Cas. feli-
citer ge-
sta.*

*Ratisbonæ
sis propu-
gnatio.*

*Septemuir
Moguntia
nus sua
vrbi, Prin-
cipi, & so-
lio reddi-
tur.*

*Victoria
Norlin-
ghana Fer-
dinando-
rum Au-
striacum.*

illo cardine versabatur, atque ex illo apice pendeat magna Imperij moles. Adhuc in Hornio, & Vaimario Suecicarum reliquiarum veteranis Duc-
toribus, spirabat Gustauus, nec dum Aquilonaris turbo aduersus Austros
vltimos conatus expromens plane resederat. Adhuc Austriacum domi-
num iugum detrectabat perfidia, mordebatque frænum furore brutali.
Indignati FERDINANDI sub FERDINANDO Pio tantum licere
impietati, coacto in vnum Germanarum turmarum, Hispanicarum legio-
num, & Itali militis robore, inito prælio cum magnam victoriam, summa
constantia, fortitudinis, prudentia, laude, omnibusq; alijs numeris certa-
tim cumulassent Hispani, Germani, Itali, capto Hornio, Vaimario fuga-
to, Suecicisq; copijs partim cedentibus, partim cæsis, breuibuscq; reliquijs
ex tanto milite numeratis, Germaniam ignominia liberarunt, periculo
religionem, hoste totum orbem Orthodoxum. Ita naufragum ferè Aquilone
irruente Imperium, geminis Imperatoribus lucidis, & salutaribus
Austriaci Cæli Sideribus seruatum est, ostensumque quid felicitatis ferat
Austria Austria iuncta, & geminatum FERDINANDORVM AVS-
TRIADVM Nomen. Nec dies sefellit sanctitatem, faulitatemque,
victoria, quam pollicebatur S. Victori sacer, sanctissimâ deinde, ac faul-
tissimâ relata victoriâ. Adeo feliciter semper pugnant, qui Deum Duces
habent, & cælitates commilitones. Aquilones illi Boreæ filij, non Zethes
& Calais, sed Hornius, & Vaimarius Herculeâ tantum manu vinci debe-
bant, & Heroes poscebat hæc victoria non homines. Iam citra fabulam
non Ionis, sed Germanici Cæsaris FERDINANDI II. pij, Hispanique
Monarchæ PHILIPPI IV. Maximi iussu, gemina simul iunctæ Aquilæ,
post emensum victorijs orbem, non in Parnassio, sed Norlinghano colle
confedere fortunatissimis auspicijs, vbi que tamen lauro, victoriarum ho-
nore, supra omne bicipitis iugi lauretum virecente. Tantum sub Impe-
ratorijs, & Regijs, Austriacis vestris auspicijs, inuictissimi FERDINANDI
potuistis, non huius tantum prælij spectatores, sed auctores, bellatores,
pugnæ Apices, & victoriæ. Huc nobiles curas historici conuertite, ad
hanc Pharsaliam, ad hoc Actium alite calamo conuolate. Quanta lux
vestris annalibus accedet à FERDINANDÆO Nomine! Quanta à te
FERDINANDE Auguste qui communicatis cum altero FERDINAN-
DO belli, victoriæque socio, tuis insistente veltigijs, magnis consilijs, in-
ter confertos hostes inuicto pectore, victrice manu, quâ scepro regnato-
re, quâ bellatore gladio ingentem eluctatus victoriam, supra calcata ca-
dauera, triumphalis gloriæ curram egisti. Dicetis rebellionem ad plures
saltem annos exarmatam, hæresim donitam, compositum furorem, re-
pressam audaciam, perfidiam debellatam, inuidiam subactam, & alia mil-
le malorum nomina vno iugo captiua FERDINANDÆO Nomini re-
uerentiâ exhibuisse. Incredibilis virtus supra fidem non erit, si de FER-
DINANDIS dicatur Austriacis, de quibus prodigia narrati debent non
facta. Assurget Norlinghanus collis Capitolino sublimior: non minor
erit hic ex FERDINANDÆA victoriâ, quam ille ex Romanis trium-
phis. Attollet læto murmure spectator victoriæ Rhenus, supra Tiberis,
gloriam, laureatum toties victorijs Austriacis caput, & adhuc admira-
bundus.

1639. 8.
id. Sept.

bundus prædicabit sub FERDINANDIS Austriacis victoris exercitus Imperatoribus, constanter ab Hispanis expectatos hostium impetus, exceptos, fractosque, audacter à Germanis occupatos, fufosque, prudenter ab Italis, & forrter repressos, fugatosque, totamq; FERDINANDÆAM euoluet, quam stupebunt posteri, sæcula omnia celebrabunt, amplissimam victoriam, postquam Germania imperat Occidenti, & clarissimum cum sole FERDINANDÆVM Nomen feret. Cumulatissima felicitas aliam peperit, quã Alberti Fridlandij perfidiã corruente, Germania, quam ruinosa defectio ex suis ferè sedibus conuulserat, post sædatum Suecico sanguine Rhenum manu tua victrice FERDINANDE Auguste firmata stetit, stabitque quousque.

*Fridlandij perfidia detecta, & puni-
nita.*

*Mart. in
Ep. Fla-
via.*

Altum manebit Austria gentis decus

Cum sole & astris, cumque luce Romana.

Auster florum alioquin parens, ac veris arbiter, Imbricitor tamen est aliquando, & fulminator. Imperiosior in Vualdestheinio imperandi libido in summam ignominiam deiecit, & solitario sceleri vindictam attulit theatralem. Frequentes laureæ dementarunt superbum victorem: diadema merebatur, non vt coronaret, sed vt ligaret malè sanum caput, tam enormi actum ambitionis vertigine. Ambijt fasces, securim habuit; neque enim sine securi fasces sunt, & aliquando versâ acie regnatorem feriunt. Purpura etiam addita est, sed quam suo sanguine accenderet. Apud Principes Gratiiosi, veluti funambuli in arcto semper versantur, nec nisi cum extremo exitio cadunt. Facile est ad sublimiora pennis non suis volantes, nisi medium virtutis, & gratiæ tuti teneant, ex Dædalis Icaros fieri, si præsertim Deorum more, per machinas se se attollant, non gradiantur vt homines. Isti rerum potentes in Principum aulis, cursum recursumq; diutinuin etiam sperare possunt: solstitium felicitatis non nisi in paucis punctis inuaniunt. Magna scelera, quæ furias ab Orco cum facibus incendiarijs excitant, simul Deum ab alto ad fulmina prouocant. In apparatu flagitij facinus atrox Fridlandij orbis terrarum detestatus est, vindictam, cum plausu excepit, gratulatusque est Imperio, causæ Austriacæ cum tot populorum incolumitate coniunctæ, felicitatem, expiatã vnus victimæ sanguine, multorum cede.

Nunquam Aquilas gens vlla impune laceffit.

Illis de venenatis hostibus, in sublime elatis Serpentibus victoriæ familia res sunt.

*Cl. de l.
Sicil.*

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores.

Iam te Germanicum supra omnes Cæsareos Heroes, quibus hoc triumphale Nomen gloriosã nomenclaturã inditum est, populi vocent, quando illam emensus victricibus Aquilis FERDINANDE Maxime peragrasti, quando illa tua bella, ac victorias læta suo dorso sustinuit, atque huc, illhucq; transportauit. Iure etiam beneficiorum Germanicę Prouincię tuæ sunt. Quid mirum deinde, si fulminatrix sit in bellis, emula Dei manus in donis? Ad colligendam auram popularem, aurum disseminandum est. Nemo terrarum omnium Imperio dignior, quàm qui eas victorijs frangit, irrigat liberalitate, magnificentiã illustrat, beneficiã colit.

Quid

Quid aliud expectari poterat deinde ex his, quam amorem tuorum in te ardere, admirationem ipsorum hostium trahi, externorum plausum ferri, ac rapit? Qualis felicitas Imperij Occidentis, totiusque Orthodoxi orbis, habere, Cæsarem, qui, si fingeretur bearet vota, quæ superaret, & sine Xenophontis Cyro, verum Cyrum non mitratum sed coronatum, non Persam sed Germanum Monarcham, spectare regnantem, qui sit spirans honestas, prudentia Imperans, iustitia ardens, fortitudo pugnans, religio triumphans, & in quo paterna Pietas Imperatrix geminum solium collocarit, cor & frontem, vnde & Pius sit, & suspiciatur.

Sed hæc tua sunt Maxime Cæsarum. O te etiam non tuam tantum, sed Tuorum virtute felicem! Quantum decus tibi accessit ab Austriacis coniugibus clarissimis, ac sanctissimis numerorum omnium Heroinis, Magnaque prole MARIA ANNA Serenissimam Hispanicæ Monarchiæ Reginam, & FERDINANDO IV. inuictissimo Hungariæ, ac Bohemiæ Rege, aliisque Augustissimis liberis! Quantis dotibus nobilitatus est thalamus, quantam mole firmatum solium, quantis auspicijs occupata Imperij, gloriæque æternitas! Hæc magna posteritas Maximo Parenti immensi gaudij seges, & augustorum amorum flos, ac fructus iucundissimus. Hic tuus FERDINANDVS, quem nominis, Imperijque hæredem tibi cælum destinavit, quique Auroræ nostræ Serenissimæ, splendidos natales Infantis Solis, gemino orbi pollicentis, pulcher, latusque phosphorus additur, Regiæ Nymphæ Augustus Paranympus, quantus supra hominum conditionem Heros asurgit! Iam te Maxime Parens, si non meritis, saltem auspicijs ferè æquat. Vestram fidem Hungari! vestram Germani! An non in eius religione Stephanos, innocentiam Emericos, pietate Ladislaos iam nunc admiramini? An non ex eius fortitudine etiam in hac molliori ætate aliquid maius supra Hunniades expectatis? An non in ipso omnia FERDINANDÆI Nominis prodigia legis? An non auspicatissimis gaudijs excepistis non Regem tantum populis imperantem, sed ubique suæ ætatis miracula diuidentem? Sint magna licet Patris vestigia: premit Filius in stadio virtutum, minori quidem pedes, sed animo pari, qui vnus in vtroque est. Sit ille Cæsarum Gigas, Colossus anitarum imaginum: totum Patrem Filius effingit in paruo. Quam famæ oratrici non suggeret Imperator, encomiorum thesaurum? Quæ non dabit historiæ Heros, laudum argumenta? Quem honorem gestorum non conciliabit fastis FERDINANDVS? Aquilæ Austriades supra communem hanc nostratis aeris regionem nidulantur, Heroibus factæ non viris. Non agnoscunt sobolem, vt suam, nisi sustinendo fulmini par sit, & iam didicerit solem felicitatis spectare oculo irretorto. Ibis inuictissime Rex, quod te terrarum vota, cæli auspicia vocant, ad Apicem rerum, magnumque arbitrium Romani Imperij per tuorum gradus, non solam angustam nobilitate Duce, sed virtute Comite. Barbarorum Regum est in vna potentiam veluti in Pantheo adorare omnium virtutum Numina.

Altera Romana longè rectoribus Aula

Conditio: virtute decet, non sanguine niti.

Ita Magnus ille Cæsar Augustum filium Imperij candidatum regis nominis.

*Ch. de A.
Hon. conf.*

Theodos.

Hen.

*Aduersus
Orientis
Othomā-
num ty-
rannum
votiuā de
Ferdinan-
do IV. pra-
sagia.*

nitis formabat, in eum Herodem, cuius in te auspiciatissima initia veneramur. Iam te ex Hispaniā reuertentem orbis terrarum auspiciatur, Hesperum orientis. Proclament te purpuratum suum solem Auroræ populi, simulq; miseræ supra cimmerias tenebras noctis, quam ab Othomannicâ Luna patiuntur, æternum iugum, excutiant. Agnoscat te suum Martem Thracia, sed innocentem, pacatumque, atque in tuorum triumphorum plausum orphæos suos recinat modos. Venerentur suum Herculem Oethæa iuga, non Nessi incendiariâ, & carnifice, sed Dominâ rerum, Augusti purpurâ paludatum. Videant Pelios & Ossa nouum Gigantem, sed Cælo amicum, atque pro illo coniuratis omnibus potentia, felicitatisque viribus pugnantem. Admurmurent plaudenti susurro, dum victore pede calcabis Mæoticas arenas, Euxina Maria. Romano Imperatori plaudat veteris Troiæ ignobile bustum, prima Romani nominis Patria. Reddatur Macedonia magnus orbis victor: Semiramij muris, & Persicis Regnis aliquid primis Monarchis, & Cyro maius: Erigat triumphali Heroi ingentem colossum Rhodus: inserantur in hæreditario, Austriacæ domus palestino regno victricibus manibus idumæ palmæ, nouusque ex veteri, quem inter Gentiles Heroes suos Austria familia numerat, Bullionius victorijs sacris inauguretur. Parthus non fictâ, sed verâ fugâ non iaciat tela, tantum sed abijciat, Austrij Nominis reueritus Maiestatem. Nouis Bactrâ ligentur legibus: depræhendantur, premanturq; Domino pede, Nili fontes inaccessi. Aureis Tibi vndis Ganges fluat vectigalis, & è toto oriente tributario, gemmæ grandinis pretiosa tempestas, ad tui solij, veluti terminale litus subsidat.

Virg. I.
Æn.

*Hunc tu olim cælo spolijs orientis onustum
Accipies securo.*

O Germania cum plausu! Amittet accedente Austriaco sole inimica lunanitorem. Austriji Cæsares hanc tibi magnam auspiciantur molem felicitatis: In hanc spem educauit maximus Parens tuus,

paruumque triumphis

Cl. de
Hon. conf.

Instruit, & magnis docuit proludere factis.

An non ipsa Norlinghana, aliæque innumeræ paternæ victoriæ, elementa tibi basilica, ac triumphalia exempla erant, quibus his vocibus tacitè instruebaris?

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem.

Æuum
Austriacæ
domui, &
imperio
vouetur.

Tu verò Austriacæ Cæsar FERDINANDE gratulare tibi serenissimæ prolis auspicia. Germinabunt è magna stirpe succedanei Heroes. Ibit in sæcula Regum, Cæsarumque sæcunda posteritas per fastos æternitatis gloriosissimos, Regibusque, ac Dinis Cæsaribus videbit

Permixtos Heroas, & ipsa videbitur illis.

Virg. Ecl.
4.

Maiorque maximo si fieri poterit Parente Filius imperabit, & Nepos, Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Cum Augustâ posteritate transcribentur in æuum purpuræ Sole clariores, folia terrarum orbe firmiora, coronæ cælo inuidendæ, sceptræ, quæ Regna sustentent, Monarchæ, Imperatoresq; maximi, omnium temporum famâ, prædicandi. Iulia imperatrix progenies à C. Iulio Cæsare

orta

orta in sexto successore defecit, si vel numeremus inter homines Neronem, coronatum illud Romani Imperij monstrum: Carolinghorum stirps in occidente, Imperij Germanico-gallici fundatrix à Carolo Magno ad Ludouicum IV. pauculos supra seculum annos orbi, & Imperio preesuit. Paleologa familia in oriente à Michaele ad Constantinum vltimum ducentos annos cadētis Imperij infelicia gubernacula tenuit, scythicis turbinibus naufragia perpetua minantibus: Flora Constantinorum prosapia in Nepotibus: Flauia Vespasianorum etiam in filijs suspici desijt. Imperatores, ferè omnes, singuli regnarunt: Patrici aut filijs Imperiū, aut filios Imperio pepererunt: penè nullis auitum Imperiū fuit. Augusta Austriadum Gens à primis RVDOLPHI Magni Imperatoris natalibus auspiciatissimis, triginta annos, & amplius supra quadringentos, tresdecim Cæsares, & in ijs decem nunquam interrupta ferie numerat ad Orbis totius beatitatem, & Nominis Austriaci Orthodoxique (neque enim ista sine piaculo disiunxeris) gloriam quiternam. O auream etatem AVSTRIACAM, iam tot secula viuentem! Opretiosiore etate sua, AVSTRIACAM Gentem, tot prodigia singulis annis, ne dum seculis diuidentem! Stabit cum Celi Zonis, AVSTRIADES, vestra purpurati Celi candida Zona, lactea Heroum ad Cælum euntium via, & quousque ille terris dominabuntur, etiam vestra domina rerum regnabit. Quis verò dubitet de potentia omnibus fundata virtutibus, nullis quassata vitijs, quatuor iam seculorum robore stabilita. Cõiuncta est cum rerum salute, Europæ libertate, religionis vita, felicitate orbis terrarum, imò cum caelestibus commodis, Deique consilijs, Austriaca causa, Cælo, terrisque innixa. Hoc Numen ipsum apertissimis miraculis Austriacam rem seruantibus, ac restituentibus tot seculis contestatur. Viue interim maxime FERDINANDE, qui centesimus vigesimus primus à Principe Cæsarium Iulio numeraris Augusti auream etatem, annorumque Chiliades è tuis FERDINANDIS euolue.

*Accipiat Patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, & captis ne desit Fascibus hæres,
Decurvatque Augusta Domus, tradatq; coronam
Mutua posteritas, seruatque ordine fati,
Austria continuo numeretur Cæsare proles.*

Accedant ad Augustos Imperatricis vite tue annos illi, quos ferro viatore tuis hostibus eripuisti. Et quando iam in MARIA ANNA, & FERDINANDO Augustissimam geminam spe Germaniæ, & Hispaniæ Imperium Germanicum, & Hispanam Monarchiam cum æternitate coniunxisti, Viuant PHILIPPI Maxima Hispanæ Monarchæ: FERDINANDI Germanico Imperio, orbis terrarum regna viuant PHILIPPIS, & FERDINANDIS, stetque, ac regnet Augusta Magnorum Austriadum Domus, quousque cælum, cui innititur stabit, ac terris dominabitur, Arx Fortitudinis, Clementiæ Ara, Iustitiæ Delubrum, Religionis Propugnaculum, Pietatis Sacrarium, Virtutum omnium triumphalium, & Augustarum æternum Capitolium.

*Austrij Im-
perij diu-
rurnitas
singularis
post natū
Imperiū.*

*Insigne
Austriacæ
Gentis.*

*Cl. de
Wall. cõf.
Trabeata
secures
Mallia.*

170
FERDINANDVS III.

Colossus.

FERDINANDO ab Imperij Austriaci Principe XIII.

Sobi inter duodecim signa caelestia radiantia,

Non Asia fluctuantem in Rhodi Insula portu,

Supra maris tergum,

Sed Europa erigat supra inconcussam orbem terrarum

Stabilem Colossam.

Gigantem Caesarum Minor colosso Statua, non decet.

Omnium Maiorum suorum imagines

In se conflavit FERDINANDUS cum expressit,

Unde colossus euasit Ipsi suis Maioribus maior.

Niuea Paros materiam dedit,

Innocentia Austriaca concolorem.

Aliud Caelum magistrum operis ne putes,

Quam caelum ipsum, non ferreum, sed aureum,

Quod Dei solium est, & Angelorum manibus rotatur.

Quot Austrios Caesares, tot Augustas habet bases,

Unde suscipi ex omni loco debet, non spectari tantum.

Quis deinde Colossam in FERDINANDO neget

Manum, quae mole tantum imperij non fatiscit,

Pectus, quod toti armato Septentrioni obiectum stetit,

Caput orbis terrarum regendi capax?

Ipsae virtutes FERDINANDAE

Diuinitati in terris proxima,

Et quae illum circumstant magna nomina

Potentia, Gloria, Fama, Colossi sunt:

Potentia caelo contermina,

Gloria coaeva immortalitati,

Fama mundo aequalis.

Ita maximus FERDINANDUS

Supra



Ed. Agnelli sculpsit



*Supra omnem humanum modum
Etiam in imagine Colossus assurgit.
Ex hoc Augusto colosso Heroum, & Heroïdum
Non nisi Gigantæam sobolem expectes.*

SYNOPSIS GENEALOGICA

Augustæ Sobolis FERDINANDI III.

Inuictissimi, & Maximi Imperatoris Austriaci.



Inuictissimus, & maximus FERDINANDVS, quem singulari munere Cælum terris concessit, deferensque sceptrum Occidentalis Romani Imperij, ac Dominas rerum habenas, suis suffragijs Cæsarem creauit, Austriadum Diuum Cæs. Augustum stemma felicissimè propagauit ex primis cum MARIA Austriaca lectissima, & pari magnitudini suæ, Heroïna nuptijs. Eandem felicitatem votis omnibus adprecamur & auspicamur in secundum Hymenæum Austriacum transcribendam, quem cum altera Austria Augustissima omnium virtutum Heroïna LEOPOLDA pijsimi, ac fortissimi LEOPOLDI Filia, FERDINANDI CAROLI, & CAROLI EMMANVELIS Archiducum Austriacorum, ac Tyrolensium Principum gloriosissimorum sorore, celebrauit. Sobolem Imperatoriam Cælum cum terra partitum diuisit, totam post Nestoreos annos sibi vindicaturum. Coronata virtutum omnium titulis nomina Augustorum Liberatorum, sic Serenissimam Imperatricem Gentilitatem deducunt in æuum, & auream ætatem Austriadum sæculorum.

FERDINANDVS IX. inter Austriacos Principes & inter Hungariæ, & Bohemiæ Reges IV.

MARIA ANNA Serenissima Hispaniarum Regina.

PHILIPPVS V.

MAXIMILIANVS V.

LEOPOLDVS VI.

MARIA VIII.

FERDINANDVS IV. serenissimæ Auroræ, quæ nostræ præluce felicitati Phosphorus, & Augustus Regnatricis Nymphæ Paranympheus coniunctis radijs, & auspicijs, uti Germaniam ortu, ita totum Orbem Austriacum suis nuptijs beabit. Vium exemplum paterni Colossi, & Imperatricis maiestatis, vnus capacissima indole omnes Austrios Cæsares repræsentat, magni huius (ita appello, quia magnos Austriacos Heroes complectitur) libri, compendium. A templo virtutis ad templum honoris gigantæis passibus progressus iam totum sibi illud consecrat.

vitam illi consulit idem,

Imperiumque diis.

Imperio prorsus, ac tractandis hominum fati nato, factoque ad magna, ad Heroïca, & quod sine maxima laude dici non potest, ad Austriaca non tam à virtute Generis, quam à generositate virtutis. Ostendit iam nunc omnium virtutum nominibus Augustus, quid FERDINANDÆVM nomen granditatis in Austria Gente ferat, quasi nunquam ab Heroe FERDINANDVS diuidatur. A pietatis studijs, & fortitudinis Imperia auspicatus, iam prima in Dei, ac suæ Gentis hostes, fulmina destinat. Nihil vero Austriacis Aquilis formidabilius, vbi aduersus cœli hostes fulminatrices sunt. Omnia etiam cum summa æquitate animi, corporisque bona ex æquo fortitus, iam nunc non magis formidandus externis suspicatur, quam blandus suis. FERDINANDÆO imbutus genio iam nunc didicit à paterna dextera clauum Imperij moderari, summaque reuerentiâ in Augusto Parente, qui ex Typo Prototy-

pus, & Colossus Maiorum suorum est, & Minorum Idea, præfate, & colere omne magisterium virtutis, atque illum, qui ex contrarijs belli, pacisque ornamentis redditur, concentus optimus. Iam nunc flore ipso adolescentiæ summæ pietati, ac fortitudini consecrato, probat leuissimus Principum flos, in Austriaca Domo neminem non magnum nasci, neminem non maximum fieri. Iam virtutum titulis maturus est illi felicitati, cui videtur adolescere iure ætatis. Ita fortis est manus, ut cum Hungarico, & Bohemico sceptro possit Romanæ Potentiæ, imò & terrarum omnium pondus sustinere. Intelligit iam hic Austriacus Alexander magnitudinem suam, nec nisi magna, atque Heroica meditatur. Quid deinde cum PHILIPPÆIS consilijs erudiet fulmineam manum, & reget? An non auspicari liceat pugnas Appellæo pericillo pingendas, & in Mæonio cothurno decantandas? An non perficiet, ut ipso superstite Austrij Heroes nunquam non triumphent. An non

Imperium terris Animos aquabit. Olympo?

Certè ut alia omittam ipsa pulcherima species, oculo iudice, infra Augustum non irradiat, canique potest cum Vate Panegyrista.

*Claud. de
Hon.
& de 4.
Hon. conf.*

Fronte quis aqualis, quem sic Romana decebunt

Culmina?

Et cum eodem responderi

Equalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus

Verteret, & Patri non degeneraret Achilli.

Quantum instar in magno Principe Maiorum Austriadum est? Quantum paternæ fortitudinis: quantum Austriæ pietatis? Quantum omnium Augustarum virtutum? Dignum animo corpus Augusta forma probat: dignum corpore animum Austriaca Pietas: Dignum FERDINANDI nomine Heroem omnis Heroicarum virtutum numerus. Iam enim hominibus præesse, Heroica agere, diuina procurare, AVGVSTVM FERDINANDÆVM, & AVSTRIACVM est: Quam non otiosa serenitas, cœli decus, migravit in titulum, eius ore iucundissimo, Genioque clementissimo Cœli faciem, ingeniumque, cum maximè ludum, ac beneficum arridet, exhibente? Quantum sub Hesperio Cœlo Hesperus radiabit, Hercules adolescet, occurretque ex Hispania rediens Germanico Atlanti aduersus Septemtrionalium terrarum, mariumque Orientalium monstra,

*Claud. de
4. Stil. C.*

Boreæ vastator & Eurii?

Austriades Aquilæ nullas Harpyias timent. Interea dum non vulgaris fama, sed Clio Heroicam tibi tubam destinat, hic etiam per gradus tuorum legeris basilici, hisce Auitarum Imaginum characteribus exaratus.

Vig. ec. 4.

Et simul Hercum laudes, & facta Parentis

Iam legere, & qua sit poteris cognoscere virtus.

PHILIPPVS & MAXIMILIANVS Augusti flores in infantia à viuis sublati in lætiori solo sub clementiori cœlo, regnantes vernant. Imò illis Cœlum pro solo, & solio est. Adolete flores innocentes pueri, innuptæque puellæ, & manibus date lilia plenis. Austriadum Aquilarum nidus Cœli est. Optima fata mortalibus Principes Planetæ spondent.

Claud.

Cum calfa tenent, summoque feruntur

Cardino, nec radios humili statione recondunt.

Illi etiam qui supra firmamentum in Cœlo regnant Austrij Principes, firmamentum Augustæ Familiæ sunt.

MARIA duplici titulo Cæsarea, & quia ex Augusta, & quia ex cæsa Matre prodijt vix lustralibus aquis immersa, portum tenuit, & præeuntem, triumphali omnium virtutum curru ad Cœlum, Matrem innocentæ alis sequuta est. Hæc non imbelles, sed innocentes progenerant etiam cum laude Austriades Aquilæ Columbas. Ne sibi inuiderent Augustam FERDINANDI Cæsaris maximi sobolem, ex æquo Cœlum, ac terra diuiserunt.

LEOPOLDVS, cui Cœlo nomenclatore inditum sanctissimum, ac felicissimum in Austria Gente nomen crediderim, dulcissimus Patris Cæsaris amor, pares Generi, & indolis pes alit, dum ad magna alitur, & crescit, suæ sibi grandævæ virtutis a prima ætate faustissimus Auspex, & annos vrget maturitate morum, constantiaque Pietatis. Mirum in quam suaves fructus erudiatur, in quam vberem vernet Autumnum,

num, hic Austria Arboris, Florentissimi nimirum Stemmatis ex Augusto Austriaco Thalamo, gemmascens Flosculus! Nemo ortu ipso non dicit victorijs consecratus: nemo teneras manus non grauibus palmis, paruum caput non magnis laureis destituit. Ita Austrios Principes auctoratos triumphis mascula Matrum, & Heroica Patrum Virtus edit in lucem. Gratulare tibi Austria tantam vnus coniugij sobole, & ex secundo Hymenæo Austriaco, geminatam auspicare. Habes citra fabulas, quod linguax Græcia fabulari fastu gloriosè de suo Ioue decantabat, supra Helenam, Castorem, & Pollucem, MARIAM ANNAM, FERDINANDVM, & LEOPOLDVM. Augusta premit Regius Puer, PATRIS, PATRVI, FRATRIS-QUE vestigia, & magnum LEOPOLDI nomen auitis, spirantibusque exemplis in Austrio stemmate gloriosissimum, totum auspicijs suis implet.

*Quantus in ore Pater radiat, quam grata pudoris-
Maestas!*

Maeste puer Auguste: Austrij isti Heroes, quos tibi tanquam elementa basilica legendos exhibeo

*Hos tibi virtutum stimulos, & semina laudum,
Hæc exempla dedere,*

Quæ tuis auspicijs occupas, & orbis terrarum à te expectat. MARIA ANNA non Heroïna tantum, sed Heroïdum flos, Reginarum maxima, sæculinosri decus, orbis gemini felicitas, & adnectens Romanum Imperium, Catholico orbi Vnio, omnibus ferè dotata terris, totoque mari Sponsa, vtriusque nunc est Austria Domus IMPERATRICES, & REGNATRICES INCREMENTVM. Suis natalibus Septentrionem, Nuptijs occidentem, imò Orientem, & Austrum, totumque Austriacum orbem sub vtroque Cali axe, solisque cursu latè explicatum, magna faustitate, & ingentibus Auspicijs condecorat, Austriadum virtutum dote Coniugem Monarcham Maximum dicit, beneficentiæ, et Clementiæ fama populos rapit, Pietatis exemplis famam consecrat, et post mensas alis præpetibus terras cælo attollit. Hæc Heroïdum gemma vtriusque Austria Domus fundamenta firman- tur, in quam, geminam solis Orientis, et Occidentis domum complexa Hispanorum Monarcharum Magna inclyta Domus, inclinata recumbit. Hæc Caduceatrix orbis terrarum, Austriaco Hymenæo facem simul auspicatissimam, et pacem accendente: Hæc publica spes, ac felicitas laxatis habenis gaudiorum à populis stupentibus simul, et plaudentibus suspicitur. Ipsum MARIÆ ANNÆ Magnum nomen Imperio- rum, et Gratiarum vox magna, et amabilis, Auspicium, et Elogium maximum est. Et certè nihil sanctius inter humana, nihil maius terra, cælumque vèneratur, ac ce- lebrat. Extra orbem est, cui hoc Augustum nomen non irradiat, quod iam solem, vtrumque induit, et latere neminem potest. Fauete superi, et vni vnus MARIÆ ANNÆ

Omnes thalamo conferte triumphos.

Mortales plaudite dum Regnat Austriacus non solum, idem per Zephyri metas Hymenæus, et Euri, sed Boreæ et Austri, ac Septentrionis Imperium Austrio orbi iterum iungit. Tu verò MARIA ANNA REGINARVM MAXIMA redde matrem Hispaniæ, quæ tibi matrem dedit, quando Germania Reginam reddit, quæ Imperatricem acceperat. Vos interim MAGNI AVSTRIADÆ (neque enim aut maiori nomine, aut cognomento nobiliori appellare vos possum) tanti Austriaci coniugij MARIÆ ANNÆ Augusta cum PHILIPPO IV. HISPANO MONARCHA MAXIMO Auspicijs, terque quaterque beati, VIVITE, REGNA- TE, VINCITE, TRIUMPHATE, et quod solum ad cumulum beatitatis magnæ dominationi accedere potest, felicitatem cum vestris Imperijs, ac triumphis, ær- nitatem cum felicitate coniungite.



Habes

*Cl. de 4.
Hon.conf.*

Claud.

*Cl. de n.
Hon. &
Mar.*

Claud.



*H*abes MARIA ANNA SERENISSIMA
HISPANÆ MONARCHIÆ REGINA,
ET REGINARVM MAXIMA *Cæsares tuos*
in auspicium dotale INFANTIS MONAR-
CHÆ, totiusq; Serenissimæ Posteritatis exhibitos. Non erat
mihî speculum nitidius, illustriusq; & nobilioribus gemmis illu-
minatum, quod Regnatrici Sponsæ, in amantissima fidei, ac puræ
tributum offerrem, quàm hoc, in quo conceptos omnium votis, &
auspicijs INFANTES MONARCHAS posses,

Virg.

Aduersos legere, & venientium discere vultus,
Et iam nunc spectare coronatam omnibus sæculis Regiam Sere-
nissimam Posteritatem, & decora alta Tuorum. Attolles mani-
bus in hoc enchiridio supra diuinum illum clypeum

Virg.

Famamque, & fata Nepotum.

Addidi etiam totius Austriaci Stemmatibus Gentiles Heroïdes, vt
Orbis terrarum veluti in breui tabula, Te Helenam miraretur, sed
pudicissimam, non ex Agrigentinarum Virginum nobili Zeuxi-
dis penicillo, sed ignobili calamo ex Austriadum Heroïnarum for-
ma, & omnigeno decore, conflata. In hoc Diuorum tuorum Cæ-
sarum Pantheo adorabit Orbis terrarum, omnium virtutum nomi-
na, quæ Tu colis, & in Te coluntur. Spectabunt cum admiratione
populi, ac stupentibus oculis in huius libelli scriptili tela, tuum o
Pallas non Attica, sed AUSTRIA belli & pacis moderatrix,
literatorum, bellatorumque Patrona, pepulum, tenuissimo quidem
stylo, historiographa nimirum magnorum gestorum acu exaratum,
totamque Palladem in peplo legent. Alij tuorum immortalium
Cæsarum simulacris metalla animabunt, & lapides, vt geminata
immortalitate in imagine viuant, adhuc regnent in populis, trium-
phent de inuidia temporum, de memoria fuga, formæque inconstan-
tia: alij in theatris acclamatoribus, Heroes cum plausu dabunt: vi-
ctores celebrabunt, triumphalibus arcibus, figuratis veluti, ac lite-
ratis oratoribus, sine voce eloquentibus: bellatores columnis histori-
cis insculpent: Principes cum maiestate obeliscis tamquam eter-
nis

nis solijs imponent, cæloque efferent: rerum Dominos pyramidibus
 sepulchralibus supponent, vt magno pondere subiecta Regna pre-
 mant. Sed & metalla liquantur, & atteruntur marmora, & sol-
 uuntur arcus, vbi semel oculo placuerunt, & franguntur columnæ,
 & ruunt obelisci, & silent theatra post ephemeros plausus, & pyra-
 mides ipsæ sepulchrales se ipsas sepeliunt, & omnia punctis, lineisq;
 vt ipsi characteres historici literarum terminantur. Hi etiam
 suos arcus habent, obeliscos, columellas, ac pyramides, robustius
 fortasse metallis, ac lapidibus, constantiusque cum æuoluctantes.
 Nec paruitas pretium detrahit, cum nec dedignetur totum cæ-
 lum æmula, & quasi victrice natura arte, cum sole Principe, omniq;
 stellarum populo palmari spherula a priscis, nouisque Archimedi-
 bus concludi, atq; habere extra cælum in terris epicyclos breuiores.
 Parcitur oculo, si immensa terrarum, mariumque spatia in pu-
 pillâ, vna literula non maiori, in compendio legit. Achilles Au-
 striacos Homericoplethro dignos alij magnis annalium voluminibus
 explicent, ego nihil me detrahère censebo Imperatrici, ac Regnatri-
 ci Genti, si omnes illius Heroes, ac totam Iliadem Augusta familia
 non decem tantum, sed quadringentorum annorum spatio, trium-
 phalis, inuolucro nuceo huius pugillaris epitomes concludam. Au-
 gusta tuorū Cæsarum frontes lauro non minus, quàm auro radiantes
 tutæ inter fulmina, quid pati possunt a stylo scriptore? Austriaca
 magnitudo se sola maiestate sua explicat: omnis alius mensuræ mo-
 dus, eam si imminui posset, contraheret. Austriadū Heroum causa
 in elingui etiã oratore triumphalis est; ita de suo semper cum vi-
 ctoria perorat. Hac Princeps illorum laus, quod citra iniuriam
 laudari non possunt, iacente semper longè infra meritum commen-
 datione. In hanc calamitatem incident omnes historici calami.
 Fateor igitur me sapius repræhendisse meam ipsam manum, quæ
 armata breui, fragili, ac ferè implumi calamo ad apices rerum
 collineare ausa fuerit, & ad humana fastigia, quantum in terris
 fas est, diuinis contermina, consilio præsertim sukitorio, ac ferè
 caco magni operis, sublimisq; magistro, laudes plebeias dictante inter
 ma-

*magnificentissimas totius orbis legationes. Sed re vera debitum hoc fuit, non consilium, detrahitq; infamiam omni temeritati necessitatis imperium. Neque hæc meditata laudes, sed extemporanea acclamationes sunt, quæ non placent, nisi cum Charitum more nuda, nullum habent fingendi modum, nec ullum sapiunt, licet speciosum, artis mendacium. Grandia gaudia nullis tenentur legibus. Principes sicuti sublimitate potentia, ita imitatione patientia ad Deum accedunt: nihil reijciunt, quod cum veneratione exhibeatur, & victimas, quæ illis mactantur, ab integritate extorum, & innocentia probant, non a frontibus coronatis. Ita Austriacæ clementia litatur. Imò accessit operi laus, quod fama impendium minabatur, videbaturque criminari prudentiam. Ipsum attigisse Austriacum non plus ultra aliquid Herculeum est. Paruo operi, & historia, alioquin breui moritura, mutuatus sum magnitudinem & immortalitatem ab argumento Austriadum Heroum, & Heroidum, qui cum toti Tui sint *MARIA ANNA REGINARUM MARIAM*, imò Tu ipsa, in qua omnes irradiant, Tibi, atque orbi terrarum non placere non possunt, etiam cum à me exhibentur. Excipe igitur ijs serenissimis oculis, quibus populos beas, & quod de Te, ac Tuis dicitur, & quod tacetur. Illud vectigalis fidei obsequium pendit: hoc vis admirationis venerabundo stupore, suspendit.*

LECTORI.

Leges Amice Lector pag. 10. coralla, 11. erecta, 55. afines 72. sapillis, & versantes: 111. Agusti 146. Mossouia, & non solum prudens animaduertes legi debere, coralia, erecta, afines, lapillis, versante, Augusti, Mossouia, sed æquus, & bonus hrc, aliaque errata æqui, boniq; facies, præsertim in opere subitatio, ac tumultuario, & in quo AVSTRADUM CÆSARVM Soles, circumerrantes errorum maculas, dum illuminant, eluunt.

MEDIOLANI, MDC XLIX.

Ex Typographia Ludouici Montia ad Plateam Mercatorum, apud Antonium Petrarcam prostant.
Superiorum permissu, & Priuilegio.